DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HÆMATEMESI.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HÆMATEMESI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

NOELIUS THOMAS SMITH,

ANGLUS,

MED. SOCIET. REG. EDIN. SOC. EXTR.
ET NUPER PRÆSES.

VIII. Kalendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1808.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO EXIMIO

JACOBO HAMILTON, M. D.

HAUD MINUS DOCTRINA ET SUMMA ARTIS

PERITIA,

QUAM OMNIBUS VIRTUTIBUS

QUÆ VITAM EXORNANT

INSIGNI;

HOC EXIGUUM AMICITIÆ PIGNUS,

CONSECRAT

NOELIUS THOMAS SMITH.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HÆMATEMESI.

HÆMORRHAGIA omnis formidolosa est; hæmatemesis autem, tum copiâ sanguinis vel materiæ sanguineæ subito ejectæ, tum magnâ debilitate paroxysmum comitante, forsan præ cæteris hæmorrhagiis, et ægrum et adstantes vehementer terret; medicique summâ curâ et prudentiâ opus est in hoc morbo, qui varias causas agnoscit, et remedia non minus varia requirit.

HISTORIA MORBI.

HÆMATEMESIS utrumque sexum invadit; fœminas vero, sæpius quam mares; decem mulieribus, pro uno viro, correptis, ut observat GREGORIUS *. In fœminis, plerumque occurrit ab ætate pubere ad annum trigesimum quintum †: Viri sæpius in ætate provectiore corripiuntur; mihi varia exempla ab auctoribus enarrata inspicienti visum est, casus quam plurimos, intra annum quadragesimum et quinquagesimum contigisse.

Huic, ut cæteris hæmorrhagiis, habitu gracili et debili corpore præditi, procliviores sunt; et mulieres, præsertim si alvus adstricta sit, menstruis erumpentibus aut suppressis, sæpissime hæmatemesi laborant ‡.

* Prælect. Clin. 1806.
† RIVERIUS, p. 285.
‡ HOFFMAN, p. 2. sect. 1. cap. 3.

Symptomata quæ impetum morbi antecedunt, sicut causæ, plurima sunt; præcipua eorum sunt quæ sequuntur: Capitis dolor; appetitûs defectus; ponderis in regione ventriculi sensus; ibidem dolor obtusus, gravis, interdum lancinans; hypochondriorum, præsertim sinistri *, tensio, angustiæ sensus et dolor pungens, nonnunquam tumor sub pressione dolens. Alvi status variat, haud raro constipatur; dolent artus, cum molestiæ sensu; æger modo calet, modo alget; pulsus plerumque debilis est; cardialgia, post cibum præsertim, conflictat †; tussis, dyspnœa, et thoracis dolor interdum adsunt ‡. Sub morbi paroxysmum, nausea immanis infestat, et nisus ad vomitum, qui vehementiâ et frequentiâ augentur, donec sanguis ejiciatur, quo æger primò multum sublevatur; nisi vero remedia adhibeantur, symptomata mox redi bunt.

---

* Hoffman, p. 2. sect. 1. cap. 3.
† Quarin, p. 196.
‡ Hamilton on Purgatives, p. 78.

Materia ejecta varias species habet; plerumque sanguis ejicitur subniger et coactus, pituitâ et cibo mixtus: sanguis purus nunc liquidus, nunc coactus, ejicitur. Evomitur nonnunquam materies instar picis liquidæ * ; vel evomuntur massæ polypis † aut lotui carnis ‡ similes, cum sanguinis fusci coagulis §. Quod ejicitur, interdum, sed non semper, fœtet.

Copia ejecta magis adhuc variat: interdum unciæ perpaucæ, interdum libræ complures ejiciuntur. Rulandus casum narrat puellæ annorum septemdecim, quæ sanguinis libras octo per vomitum amisit, tamen brevi convaluit ‖. Shenkius etiam virum memorat, qui intra horas viginti quatuor sanguinis libras viginti sex ejecit, cujus pars erat liquida, pars coacta, pars etiam nigerrima; æger ta-

---

* Platerus, p. 797. Rulandus, p. 199.
† Quarin, p. 194. ‡ Morgagni, Ep. 49. art. 6.
§ Hoffman, part 2. sect. 1. cap. 3.
‖ Rulandus, p. 200.

men per quietem et diætam idoneam, nullo, præter enema, remedio adhibito, restitutus erat *.

Quicquid vomitionem induxerit, semper vehementissima est; magnoque virium lapsu, sæpissime animi deliquio, stipatur. In hoc affectu, sanguis aliæque materiæ quas diximus, non solum per os, sed etiam per anum, redduntur. Mulieribus, hæmatemesis sub mensium tempus haud raro recurrit: Viris, spatiis magis incertis revertitur; et, ut quibusdam † placet, sæpius vere et autumno; his vehementior et periculosior est, quam fœminis, et profusio sanguinis rarius sponte sistit. Nonnullos ægros primo impetu hæmatemesis sustulit; alios, viribus sensim imminutis, impetu sæpe repetito, tandem occidit; vel in hydropem morbus prolabitur, quæ oriens ex hac causa, nunquam, ut quidam aiunt ‡, non lethalis est. Contra autem, hæmatemesis mul-

---

* SHENKIUS, p. 313. † ALBERTUS, p. 149.
‡ RIVERIUS, p. 285. SHENKIUS, p. 313. QUARIN, p. 196.

tos annos duravit, ægri haud ita magno incommodo; cujus rei complura sunt exempla; unum satis insigne a SHENKIO adducam: "Nobilis quædam fœmina per viginti annos, "tam in conjugio, quam modo vidua, aliquo-"ties in anno laborat, sine omni molestiâ, "vomitu copiosissimo sanguinis, quamvis "menses quoque legitime procedant. Quam-"primum vero vomitus iste, vel per se, vel "a medicamentis impeditur, male se habet, "et magnam lassitudinem totius corporis "sentit; mirum quoque hoc est, quod ex ve-"næ sectione, quâ interdum utitur, vomitus "iste non fuerit restinctus. Monui itaque, "ut naturæ cursum non impediret, et im-"primis rectæ rationi victûs operam daret, "aliis validioribus medicamentis omissis; un-"de jam in annum ætatis quadragesimum "octavum, satis commode, Dei beneficio vi-"vit *."

---

* SHENKIUS, p. 312.

CAUSÆ.

Omnium rerum quæ hæmatemesin inducunt, medici fere omnes solitas profusiones sanguinis suppressas frequentissimas judicârunt; hinc morbus sæpissime occurrit in viris, quibus fluxus hæmorrhoidalis subito sistit, et fœminis, quæ mensium suppressione laborant. Hæmatemesis quidem a Culleno aliisque affectio symptomatica habita fuit, quæ mensium vicem occupabat; medicique fere omnes in hanc sententiam iverunt, donec Hamilton clar. tractatum suum de Purgantium in variis morbis actione edidit. Hic describit hæmatemesis varietatem, mulieribus intra annum octodecimum et trigesimum, propriam, quæ res medicos persuasit, menses præcipue in culpâ esse. In exemplis vero quæ Hamilton dedit, necnon duobus, a Gregorio tractatis in Nosocomio Regio Edinensi *,

* Prælect. Clin. 1806.

in quibusdam etiam quæ ipse vidi, catamenia recte procedebant, ideoque morbum inducere non potuerunt. Alvus adstricta, a HAMILTON, causa hujus varietatis existimatur. Et rem ita se habere, satis constat, magno fructu qui usum purgantium secutus est. Quomodo autem constipatio oriatur, aut cur morbus, qui constipationem sequitur, sit mulieribus proprius, haud ita manifestum est. Observationes in capite de Chlorosi *, rationem satis certam reddunt, cur alvus sæpe sit adstricta mulieribus quæ vitam sedentariam et inertem agunt; rationem autem non æque certam reddunt, constipationis quæ hanc varietatem hæmatemesis præcedit; mulieres enim hoc morbo laborantes sæpe robustissimæ sunt, vitam assiduo labore tolerantes, et ipsæ laborem nimium pro causâ morbi haud raro assignant. Nec dictu facile est, cur eadem causa, non in maribus eundem morbum inducat, nisi aliquid sit tribuendum vi quâ uterus in habitu muliebri pollet. Quamvis enim concedatur, mu-

* Vide HAMILTON on Purgatives, p. 61.

lieres magis quam viros sanguinis plenitudini proclives esse, explicatu difficile erit, cur in iis sanguis potius a ventriculo erumpat quam in maribus. Sed HAMILTON toto animo assentior, cum dicit, "too curious a research into "the arcana of Nature is nugatory; these, "doubtless for wise reasons, seem to be pla-"ced beyond the ken of mankind *." Quicquid de his arcanis judicetur, mihi satis est, me certiorem factum esse, hæmatemesis esse varietatem propriam fœminis certæ ætatis, quæ ab alvo adstrictâ oriatur, et quæ per purgantia cito curari possit.

Mensium suppressionem nonnunquam hæmatemesin inducere, dubitari non potest; hoc autem multo rarius occurrit, quam olim putabatur. Multa exempla memoriæ prodita sunt, quibus, per multos annos morbus, circa mensium tempus rediit.

---

* HAMILTON on Purgative Medicines, p. 112.

Ut morbus alicujus viscerum abdominis majorem sanguinis copiam ad aliud transmittere potest, aut si tumor adsit, liberum sanguinis venosi reditum, premendo, impediat; sic, pancreatis, hepatis, vel lienis scirrhus, interdum hæmatemesin induxit. Plerique existimârunt, morbum lienis, sæpius quam hepatis, hæmatemesin inducere; credentes lienem magis connexum esse cum ventriculo quam hepar; et fluxum, si hepar afficeretur, magis per anum dejiciendum esse *. Gregorius autem ait †, plurimos casus sibi occurrisse cum hepate obstructo, sed unum tantum, ubi certe constabat lienem esse obstructum. Quarin causam assignat ‡ bilis abundantiam, præsertim in iracundis; et Richter puellæ historiam narrat, quæ post iram vehementem hæmatemesi correpta fuit; et emetico propinato, ingenti bilis viridis copiâ ejectâ, curata fuit §. Victus lautus, exerci-

---

* Shenkius, p. 313. Riverius, p. 285. Albertus, p. 150.

† Prælect. Clin. 1806. ‡ Quarin, p. 194.

§ Richter Obs. p. 36.

tatio vehemens, labor ingens, clamores vel loquelæ magnâ voce, aut quicquid momentum vel cursum sanguinis intendit, morbum, in opportunis, excitare potest. "Sanguis enim, "in venis et arteriis a quacunque causâ, sive "internâ, sive externâ, vehementer commotus, ad eam partem facilius erumpit, quæ "debilior et illius receptioni magis disposita "est: atque ita si ventriculus, aut venæ quæ "ad ipsum feruntur, talem dispositionem habeant, vomitus sanguinis excitabitur potius, quam alia quævis hæmorrhagiæ species *."

Hypochondriacos hoc morbo laborare non mirum est, quoniam hi et ventriculum debilem, et alvum duram habent. Ictus electricus per regionem epigastricam †, venena, aut acria ingesta, vomitus immodicus per emetica potentiora, vis externa, aut morbus ventriculi ipsius, hæmatemesin excitaverunt.

---

* Riverius, p. 285.
† Percival's Essays, vol. ii. p. 183.

Hæ causæ fere omnes sunt a variis auctoribus enumeratæ; RIVERIUS tamen, adhuc aliam memorat, miram satis; totam historiam hic citare liceat: "Quidam rusticus "vomitu sanguinis laborabat; qui nullis reme- "diis, per multos dies usurpatis, sedari po- "tuerat. Medicus, cupiens sanguinem in "ventriculo collectum educere per vomitum, "qui graviter ægrotantem infestabat, et op- "pressionem insignem in eâ parte efficiebat, "præscripsit, Olei amygd. dulc. ℥ij, quibus "vomitus excitatus est, vomuitque sangui- "nem concretum, simulque hirudinem unam, "sese in terra commoventem. Hæc erat cau- "sa ignota et rara sanguinis vomitus; retulit "postea æger, se in rivulo aquam bibisse "cum quâ simul hirudinem hauserat *." Etsi nunc temporis hoc rarissime, si unquam, evenit, tam sæpe occurrisse olim credebatur, ut MARCELLUS † et SAUVAGESIUS ‡ varia remedia indicaverunt, iis qui infeliciter hirudi-

---

* RIVERIUS, p. 541. † MARCELLUS, p. 121.
‡ SAUVAGES, vol. v.

nes devorârant. Attamen nullus dubito, quin inspectio accuratior monstrâsset, rusticum non hirudinem, sed coagulum cæteris nigrius, ejecisse.

DIAGNOSIS.

Morbus facile dignoscendus ratiocinanti videtur, sed medicinam facienti, diagnosis non difficultate caret. Si magna copia sanguinis nigri et grumosi, cibo mixti, per vomitum fuerit ejecta, sine tussi, sed præeunte sensu ponderis et doloris in regione ventriculi, unde venerit sanguis vix dubitare potest. In hæmoptysi, cujus morbi signa quædam hæmatemesi simillima sunt, etsi species et copia diversa sanguinis adjuvare potest, hæc, per se, non satis accurate morbum designant; nonnunquam enim sanguis purus, sine ullâ aliâ materiâ e ventriculo ejicitur; et propter vomitum a tussi excitatum, (vomitus enim et tussis se invicem excitant), san-

guis e pulmonibus cum ventriculi contentis misceri potest. Tussis etiam et thoracis dolor, ut jam dictum est, nonnunquam adsunt; hinc diagnosis difficilior fiet, et vix percipienda, nisi symptomata, tam præcedentia, quam præsentia, diligenter observando.

Diagnosis multum adjuvari potest, comperiendo, si tussis et vomitio conveniant, utra harum alteram præcesserit; et vultum ægri inspiciendo. Si adsit facies pallida et lutea, quæ obstructiones viscerum abdominis tam sæpe comitatur, haud multum errabimus, si morbum hæmatemesin pronunciamus. Tametsi vero facies rubeat, non ideo judicandum est, ægrum hæmoptysi laborare; quanquam a CULLENO in definitione hæmoptysis, "Genarum rubor" inter signa numeratur. Præterea, in hæmatemesi, symptomata a vomitu multum sublevantur, contra ac in hæmoptysi contingit. In hæmatemesi, pulsus ante paroxysmum debilis est; in hæmoptysi, hoc raro fit, nisi post magnam sanguinis jacturam. Percunctandum est, an sanguis, vel ulla ma-

teria grumosa, per anum fuerit dejecta, quod in hæmatemesi sæpe fit; et si res sic est, nullus dubitandi locus restabit. Sanguis interdum evomitur qui ex faucibus vel naribus in ventriculum defluxit: tunc vero, symptomata molesta, hæmatemesi propria, non præcedunt; et plerumque sanguinis origo indicatur, a quibusdam rebus, quæ hæmorrhagiam comitantur: quales sunt, faucium dolor et titillatio, sanguinis aliquantum e naribus emunctum, capitis dolor aut gravedo præcedentia, et post hæmorrhagiam sublevata *.

PROGNOSIS.

Hæmatemesis causas tam varias agnoscit, ut prognosis omnibus exemplis aptata, vix dari possit; hinc sententiæ diversæ eorum qui talem prognosin conabantur. Nonnulli auctores hæmatemesis omnem accessionem

* Vide Riverium, p. 285.

periculosam judicant; et HOFFMANNUS, de hoc morbo disserens, ait, "Vix ullam hæ-"morrhagiam periculosiorem esse hac *." Alii putant, morbum minus discriminis habere; sic QUARIN, "Vomitus cruentus ple-"rumque a periculo vitæ abest †." Omnes autem uno ore consentiunt, hæmatemesin, a fluxûs sanguinis soliti suppressione, minore periculo esse, quam a viscere obstructo. Si igitur hæmatemesis occurrit in fœmina ætatis supradictæ, quæ menstruis suppressis vel alvo adstrictâ laborat, morbi solutio felix est speranda. Si oriatur a fluxu hæmorrhoidali solito suppresso, majore cautelâ prognosin dare oportet; tales enim casus plerumque occurrunt, ætate, ubi discrimen haud exiguum est a sanguinis plenitudine in venis. Si, ex ægri vultu et aliis symptomatibus, suspicamur, hepar aut lienem morbosum esse, in extremum parandum est, etsi vomitus remediis idoneis sæpe sublevatur.

---

* HOFFMAN. Pars ii. sec. i. cap. iii.

† QUARIN, p. 196.

SECTIO CADAVERUM.

INTERDUM hic morbus nulla sui vestigia post mortem invenienda relinquit. HEBERDEN virum memorat, qui multos annos vomitu cruento laborârat, "cujus tamen ventriculus et intestina, post mortem, nullum morbi indicium ferebant, quod duo expertissimi ac sagacissimi anatomici possent detegere*." VAN SWIETEN casum huic simillimum vidit †. Et quamvis hæmatemesis a liene tumefacto orta fuerit, nulla vasa erosa aut aperta in ventriculo inveniuntur, etsi vasa ventriculi ipsius, et præsertim vasa brevia, plerumque sanguine multum infarciuntur ‡. Lien major, sed non semper durior, evadit; et nonnunquam adeo mollis, ut digito facile

---

* HEBERDEN Com. p. 403. † In BOERH. Aph. 950.
‡ HOFFMAN, Pars 2. Sect. 1. Cap. 3.

lacerari possit *. MORGAGNI sectionem vidit cadaveris adolescentis annorum viginti, qui hæmatemesi gravi laborârat; lienis magnitudo eousque aucta fuit, ut magnitudinem hepatis superaret; libras quatuor et dimidiam penderet; et tamen non durior erat quam naturaliter, nisi profunde in parte convexâ, materies solidissima magnitudine nucis magnæ in quibusdam locis inventa fuit; ventriculus prorsus sanus erat †. In MORGAGNI et WHYTT ‡, inveniuntur exempla hæmatemesis a scirrho ventriculi orta, et ratio eadem ab utroque redditur, cur ventriculi scirrhus hæmatemesin inducat §. Demum, cadaverum sectionibus, quatenus inveni, probatum

---

* RICHTER Obs. 39. † MORGAGNI Ep. 36. art. 11.

‡ WHYTT on Nervous Diseases, p. 199.

§ Animadversio eadem facit, ut initium diuturni, et qui mulierem tandem confecit, morbi, in aliquâ fuisse ventriculi glandulâ, suspicemur, sensim auctâ, et duriore, ac tumore suo obstaculum sanguini afferente, ut ex dilatatis propterea vicinis vasculis non semel erumperet, in fœminâ præsertim quæ generoso vino, et salsis cibis abuteretur *.

* MORGAGNI, Ep. 29. art. 13.

est, morbum lienis, sæpius quam hepatis, hæmatemesin inducere; et hæc sententia CULLENI fuit.

RATIO MEDENDI.

IN morbo tractando, impetum levare primùm oportet, deinde causam removere. In hæmatemesis varietate a HAMILTON descriptâ, compertum est, morbum recedere simul atque alvus bene purgata fuerit: et forsan, etiam morbo symptomatico, remedium præsentius vix reperiemus. Undecunque enim

---

"Scirrhous tumours in the stomach, by obstructing in a great measure the course of the blood through the indurated part, may occasion a more copious influx of this fluid into the neighbouring vessels, whence the orifices of some of the exhaling arteries in the villous coat of the stomach may be so dilated, as to allow globules of red blood to escape with the thinner humours †."

† WHYTT on Nervous Diseases, p. 236.

hæmatemesis orta fuerit, alvus fere semper irregularis est, et sæpe adstricta; constipationem igitur summovere, maxime convenit. Nullus fere auctor non hortatur, alvum leniter solvi, post vomitum sedatum; et inspiciendo historias a variis auctoribus enarratas, reperio, etsi plurima alia remedia fuerint adhibita, maximum auxilium a purgantibus acceptum esse. RICHTER vix alio remedio nisi lenibus purgantibus usus est *; et HEBERDEN, auctoritate cujusdam ex amicis, contendit, omnem hæmorrhagiam, salibus mediis parvâ quantitate datis, facillime cedere †. Sed auctori eximio tractatûs de Purgantium Usu, notitiam debemus, quantum valeant hæc medicamenta, contra hunc et alios morbos. Hæmatemesin (ait GREGORIUS) haud raro venæ sectione et epispasticis feliciter tractavi; sed HAMILTON optime meritus est, qui alvi solutionem "summum remedium" esse demonstravit ‡.

---

* RICHTER Obs. 38, 39. † Medical Trans. vol. ii.
‡ Prælect. Clin. 1806.

Si ventriculus, nimiâ irritabilitate, medicamenta retinere nequit, ad enemata confugiendum est; et post evacuationem hoc modo factam, ventriculi irritatio plerumque adeo sedatur, ut retinere possit quæ antea rejecisset. Medicamenta minime ingrata eligenda sunt; et submurias hydrargyri, quoniam parva quantitas pro dosi sufficit, utilissima est. Quum mihi visum est purgatione opus esse, aliaque remedia rejecta fuerant, ob ventriculi magnam irritabilitatem, inveni submuriatem hydrargyri cum pauxillo syrupi datam, effectum exoptatum edere. Licet enim occurrat vomitus, submurias hydrargyri, ut syrupo gravior, subsidet, et minus facile rejicietur, quam si formâ pilulæ vel boli exhibetur. Stimulantia regioni ventriculi admota, multum laudabantur; et olim formulæ admodum complexæ in hunc finem dabantur, quæ omnes cantharidibus locum cesserunt. Si ventriculi irritatio maxima adest, vesicatorium certe imponi debet. Haustus effervescentes propinandi sunt, et ni vomitus sedetur, opium exhibendum, quod melius in substan-

tiâ dabitur, quoniam hâc formâ facilius retinetur, et minus quam tinctura irritat. Ubi venæ sectio profutura videtur, ab opio abstinendum donec sanguis missus fuerit. Porrigantur acida vegetabilia vel mineralia, in quodam liquido leni et frigido, dosibus parvis et repetitis : acida omnibus hæmorrhagiis prosunt, sed in hæmatemesi, ubi sedi morbi directe applicantur, auxilium haud parvum expectandum est. Alumen, etsi vim astringentem maximam habet, in usum vix vocandum est; cum multis vomitum cieat. Suasi acida in frigido dari; hoc magni refert, quia eorum vis astringens ita multum augetur. Hæmatemesis sæpe aquæ frigidæ haustibus cessit, aliis astringentibus frustra adhibitis *. Aquæ frigidæ usus a De Haen laudatur, tum hæmoptysi, tum hæmatemesi; casum mulieris tradit, quæ vomitu cruento gravissimo laborabat, et propter debilitatem, sanguinis mittendi nullus erat locus; vomitus statim seda-

* Prælect. Doct. Home.

batur aquæ frigidæ libris duabus haustis, nec postea revertit *. SAUVAGESIUS item frigidam aquam commendat †. Ubi sanguinis magna copia ejicitur, et ventriculus adeo irritabilis est, ut nihil retinere possit, forsitan enemeta frigida proderunt. Si adsunt sapor amarus, et alia bilis symptomata, RICHTER emeticum suadet, et casum adducit ubi hoc remedium multum adjuvabat ‡. Sed quia non facile est certe scire, utrum bilis in ventriculo sit, et vehementes nisus, actionem emetici comitantes, discrimen haud parvum habent, fateor me ad hoc remedium confugere nolle, præsertim quoniam bilis multo facilius et tutius per purgantia dejici possit. Sæpe, tanta est debilitas ut venæ sectio omnino prohibeatur; sed si æger plethoricus est, si pulsus durus et frequens, et præsertim, si locus suspicandi, morbum a hæmorrhagià suppressâ oriri,

---

* DE HAEN, vol. iii. p. 281.

† SAUVAGES Nosol. vol. v. p. 41.

‡ RICHTER Obs. 36.

vix dubitandum est, quin missio sanguinis conveniat; etsi HEBERDEN, summâ veneratione dignus, aliud sensit; dicens, sanguinis missionem inutilem esse vel pejorem in omni hæmorrhagiâ, et etiam in hæmoptysi, se populari opinioni solum tributurum esse, ut sanguinis exigua quantitas bis aut ter mittatur*. Vinum et omnis cibus stimulans vitentur. Æger in conclavi gelido habendus, ab omni motu vehementi abstineat, et ab omnibus rebus quæ hæmorrhagiam excitant.

Impetu his rebus sedato, causa deinceps est removenda. Si constipatio causa fuerit, morbo recidivo occurremus, victu idoneo, et laxantibus pro re natâ exhibitis. Si judicamus, affectionem primariam menstrua suppressa vel fluxum solitum hæmorrhoidalem fuisse, talem fluxum restituere conandum est; sic HIPPOCRATES, "Mulieri sanguinem evomenti men-"struis erumpentibus solutio fit †." Ad men-

* HEBERDEN Com. p. 357.

† HIPPOCRATES, Sect. v. Aph. 34.

ses restituendos, vivendi ratio huic rei accommodata, præcipienda est; et quod ad medicamenta attinet, purgantia forsan ad menses provocandos maxime valent, omnia enim medicamenta quæ magno studio ut emmenagoga decantata fuerunt, rectum stimulando, et per consensum uterum, profuerunt.

Dictum fuit, fluxum hæmorrhoidalem restitui posse, fomentis et hirudinibus podici admotis; hoc tamen dubito. Plenitudini vero omni ratione propugnandum, nec in ullo casu, purgantia lenia magis necessaria. Si hæmorrhagia intervallis certis revertitur, conveniet forsan, sanguinem detrahere sub tempus accessionis expectatæ; et venæ sectio semel aut bis repeti potest, copiâ gradatim imminutâ; et adhuc plenitudo per fonticulum oppugnari potest. Si hepatis vel lienis morbus hæmatemesis causa fuerit, hydrargyro et aliis remediis contra hoc malum valentibus est utendum. Si ventriculi scirrhus, ulceratio, vel carcinoma, hæmatemesin induxerit, parum medicina proficiet. Quanquam regimen antiphlo-

gisticum laudavi, interdum magno languore et debilitate ægri, admoniti aliquantum immutare cogimur, et cardiaca permittere, quorum vinum fortasse optimum est. Cum æger frequentibus accessionibus infestatur, viresque magnâ sanguinis jacturâ labefactant, decoctum cinchonæ adhiberem, quod "non tam "proficit, vi quadam astringendi, quam quia "occurrit malis ex immodicâ sanguinis pro-"fusione orituris *,"

Ad reditum morbi impediendum, summâ curâ omnes causæ excitantes quas diximus vitandæ sunt; liquoribus meracis in toto abstinendum, quibus nihil magis ventriculum lædit, vel viscerum morbos sæpius inducit. Quod HIPPOCRATES de Morbo Nigro tractando suasit, hæmatemesi bene convenit: "Mor-"bo atro laboranti medicamentum purgans "crebro propinato, et serum et lac, si anni "tempus ferat; et cibis abstineat dulcibus, "oleosis et pinguibus; utatur potius frigidis

* HEBERDEN Com. p. 182.

" et alvum subducentibus, et nisi debilis fu-
" erit, sanguinem e brachio detrahito. Quod
" si alvus non dejiciat, molli infuso subluito,
" a crapulâ et venere abstineat, neque mul-
" tum exerceatur, neque deambulet; calida
" non lavet, acria non edat, neque salsa; quæ
" cum fecerit, cum ætate etiam morbus fu-
" giet."

Si hæmatemesis oriatur a veneno vel acribus ingestis, tractanda est remediis quæ his rebus conveniunt; sed de singulis disserere, me in campum nimis latum deduceret.

FINIS.